

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0601

0599

0605

0595

0610

0590

0650

0550

0700

0500

1100

0100

Ende

Anfang

28

venimus ad quandam ecclesiam pulchram, cui monasterium
parvum est annexum, in quo habitant Georgici monachi cum
uxoribus suis. Ingressi autem ecclesiam ducti fuimus ad altare
majus, quod altare dicitur in eo loco situm, in quo stipas
sanctae crucis crevit. Ideo etiam ecclesia in honorem sanctae
crucis est consecrata et dicitur ad sanctam cruem. Porro
sub altari est fovea, in quam nos inclinavimus, et terram de-
osculati sumus et indulgentias (††) plenariae remissionis
accepimus.

De ipsa autem fovea recreavimus, [nam ex ea] respirat
odor, quo allecti diutius in loci deosculatione mansimus. Ap-
portaverunt etiam nobis brachium S. Barbarae, quod deoscu-
lati sumus. Hic est locus ille benedictus, ex quo crevit illud
dulce lignum, honore divinitatis dignum, quod nescientes
veteres idololatrae figurate praesigurarunt. Nam cum apud eos
decretum esset Deo facere simulacrum, accurate ratione hoc
simulacrum debere fieri non ex auro, nec argento, nec de
lapide, sed ex ligno, tamquam ex convenientissima materia,
ut habet Eusebius de Evangel. Praeparat. I. 3. c. 3.

Post orationem in atrio ecclesiae consedimus ad pausan-
dum paululum, eramus enim adhuc jejuni, et calor incepit
fervescere, aliqui autem de peregrinis ingressi tuguria illorum
monachorum petebant, si haberent aliquid coctum? Sed nec
coquinas nec ollas vidimus in istis domunculis, sunt enim
pauperrimi homines. Interea venit quidam Saracenus, sportam
portans cum botris, de quibus emimus et manducavimus cum
pane, quem in sacculis nobiscum portavimus, et de cisterna
monachorum aquas hausimus.

Juxta hunc locum stant multae olivae, et est quasi silva
olivarum et ficorum. Dicunt autem, quod etiam in hoc loco
Salomon viridianum habuerit, ad quod quandoque de Jerusalem
vectus aureo currū pro solatio venerit. Cum ergo respirasse-
mus, ascensis asinis per clivum in altum ascendimus, viam
saxosam et asperam, et in superioribus vidimus civitatem
sanctam a nobis distantem, et domum Simeonis pertransivi-
mus per vias inter hortorum macerias. In progressu vero
appropinquantibus nobis Jerusalem intravimus vicum quendam
inter macerias, latum præbentem iter, nescio autem, qua de

